



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Vita Nicolai Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**



ANNO  
CHRISTI  
1447.

# VITA NICOLAI PAPÆ V.



**N**ICOLAUS, Thomas antea Lucanus, Nicolaus  
patre medico natus, pridie Nonas quo tempo-  
Martii anno 1447. est electus, cum re pontifex  
antea cardinales rogasset, vt ecclesie factus.  
Dei maturius consulerent. Nicolai  
nomen, ad memoriam Nicolai Fulgosi-  
cardinalis Albergarti de se optime lib. 8.  
meriti, sumpsit. Eodem anno episco-

pus, cardinalis, pontifex creatus fuit. Incidit eius pontifi-  
catus in maximos Italiae tumultus, grauissimosque casus.  
Quapropter, Romae supplicationibus primum decretis,  
quas & ipse pedes celebrauit, in varias prouincias lega-  
tos misit: quibus diu frustratis, tandem post diuturnas  
miserimaeque clades, pacem ab Alphonso rege, Venetis,  
Florentinis, Sfortia, aliisque, qui mutuis armis decerta-  
bant, consecutus est, exceptis Genuensibus cum Alphonso  
pugnantibus. Anno 1449. sex cardinales creauit. Friderici  
imperatoris opera Felicem antipapam ad cedendum indu-  
xit; ac post, vt ei gratiam aliquam rependeret, & cardi-  
nalem & legatum Germania designauit. Anno millesimo  
quadringentesimo quinquagesimo incidit iubileum, quod  
prope infinito ciuium exterorumque conuentu summa  
religione celebratum est, pontifice diligenter curante,  
ne quid in vrbe necessarium desideraretur. Urbem firmis-  
simis munitioibus auxit, quod imperatorem postero  
anno cum vxore ad futurum intellexerat: qui veniens,  
accepta imperii corona, rebus pacatis, discessit. Depre-

*Concil. Tom. 34.*

A

Frideric.  
III. impe-  
ratorem  
coronauit  
Constanti-  
nopolis a  
Turcis oc-  
cupatur in  
ipsis feriis  
Pētecostes  
an. Dom.  
1453. prout  
Nicolaus  
auctore Gē-  
nadio præ-  
dixerat.

Nicolai  
laudes.

hensi sunt coniurati in pontificem, eorum duce Stephano Porcario: iique omnes suspensi. Interim Nicolaus satis elaborauerat, ut Constantinopolitanos a Turcis obsessos liberaret, dum ii ad catholicam fidem, ut polliciti fuerant in Concilio Florentino, reuerterentur. Verum Turcarum vis atque potentia mira celeritate urbem & imperium omne oppressit, adeo ut omnia pontificis tam facta quam cogitata anteuertit: quæ audita, pontificis animum ita perculerunt, ut ad podagram, qua assidue cruciabatur, febris quoque accesserit, qua sublatus est, & in Vaticanum delatus anno Domini 1455. 1x. Kalendaris Aprilis, cum sedisset annos octo & dies nouemdecim. Vir commendatissimus præcipua laude, qua cum in omne virorum genus se beneficum ac liberalem, tum maxime in eruditos viros præstitit, quorum ingenia non acute nimium & subtilius exquisiuit, sed beneficiis aliisque muneribus ultro oblatis aluit & prouexit, eorumque industria per omnem Europam veterum libros qui iam interciderant, conquisiuit: qua inquisitione Quintilianus, M. Cælius Apicius, Porphyrio in Horatium scriptor egregius, qui diu obsiti tenebris delituerant, in lucem prodierunt. Tot præterea basilicas & ædificia, quot superiorum aliquis pontificum, restituit. Ingentem pecuniarum vim pauperum, maximeque nobilium eleemosynis, & calamitosis virginibus dotandis impendit. Nullum vnquam aut curiale officium aut sacerdotium venale habuit: summæ ut liberalitati, ita religioni, iustitiæ, clementiæ, paci operam dedit. Ad iracundiam, ut suscipiendam procliuior, ita ad deponendam fuit: nec solum iracundus, sed aliquantulum formidolosus habebatur. At leues hæ maculæ, veluti navi quidam, decori magis & ornamento ceteris virtutibus interlucebant.